

F. iur. oing. 1763, f.

L. VIII. T. I. II. III.

Q. D. B. V.

THESES JURIDICÆ
DE
SERVITVTE
RERVM,

Quas

PRAESIDE



VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo
atque Excellentissimo,

DN. JOHANNE HENRICO
FELTZIO,

J. U. D. Pande&. & Jur. Can. Prof.
Publ. Ord. Celeberrimo

Die 3 Julij M DCC XVI.

SOLENNITER pro Viribus defendet
HENRICUS LE COMTE,

Badonvillanus.

Autor.

ARGENTORATI, Literis DANIELIS MAAGII.

*VIRO VERE NOBILI
DOMINÒ*

CLAUDIO LE COMTE,

*In utroque Jure Licentiato
eruditissimo,*

**REGI CHRISTIANISSIMO
A CONSILIIIS**

**Regiorum Denariorum Quæstori
fidelissimo,**


PATRUIO HONO.

**RATISSIMO
HASCE POSITIONES**

Humillimâ cum observantiâ

D. D. D.

HENRICUS LE COMTE.



DE SERVITUTE RERUM

Th. I.

Nter Species Juris in Re recte recensetur servitus rerum.

Th. II.

Dico *servitus rerum*. Nam servitus personarum , quatenus est constitutio Juris gentium , qua quis Dominio alieno contra naturam subjicitur, pertinet ad primum objectum Juris , quod est persona.

Th. III.

Servitus Rerum definitur , quod sit jus in re aliena constitutum , quo Dominus prædii servientis aliquid pati aut non facere in suo tenetur. Brevis & concisius : servitus est jus in re aliena ad prædii vicini vel ad personæ utilitatem.

Th. IV.

Ex hac ultima Definitione sua sponte fluit Divisione in servitudes Prædiales & Personales.

A 2

Th.

Th. V.

Servitus prædialis sive Realis, est jus quo prædium vicinum vicino prædio inservit.

Th. VI.

Servitus personalis est jus, quo meum prædium vel vicinum vel non vicinum personæ alterius servit.

Th. VII.

Servitutes Prædiales iterum sunt duplicis generis, Prædiorum Rusticorum & Prædiorum urbanorum.

Th. VIII.

Servitus Rustica est servitus; in qua prædium rusticum vel ex utraque vel ex alterutra parte intervenit.

Th. IX.

Servitus urbana est, ubi ex utraque parte prædium urbanum intervenit.

Th. X.

Ex fine nou ex situ æstimari debent prædia urbana & rustica.]

Th. XI.

Sic Prædium Rusticum potest esse in urbe & prædium urbanum ruri.

Th. XII.

Servitutes prædiorum Rusticorum in institutionibus principio tituli de Servitutibus recensentur quatuor: Iter, actus, via, aqueductus; sed dantur utique plures.

Th.

Th. XIII.

Adduntur enim statim in §. 2. aliae: Aquæ hau-
stus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, cal-
cis coquendæ, arenæ fodiendæ.

Th. XIV.

Et ad similitudinem harum multæ aliae adhuc
excogitari possunt; E. g. jus lapidis scindendi, pi-
scinum habendi, lignandi &c.

Th. XV.

Iter, Gallis, *Le petit sentier*, est jus eundi &c.
ambulandi hominis. Sub homine ambulante, hic
comprehenditur tam pedes quam eques l. 12. ff. *De
S. P. R.*

Th. XVI.

Actus, est jus eundi ambulandi & jumentum a-
gendi vel vehiculum. Actus iter in se continet l. 21.
ff. *De R. J.*

Th. XVII.

Iter & actus jure civili latitudinem certam de-
finitam non habent. Bene tamen via, quæ in por-
rectum octo, in anfractum sedecim pedes habet.
l. 8. ff. *D. S. P. R.*

Th. XVIII.

Deseribitur potius, quam definitur in Instit. via
esse jus eundi agendi & ambulandi hominis. Si e-
nim hæc verba spectares nude & crudé, ab actu
non differret; adjicienda ergo in definitione hæc ver-
ba sunt: *majore latitudine*, cum insuper ex l. 7. ff.
De S. P. R. pateat, in via contineri jus trahendorum
lapidum, hastæque rectæ ferendæ.

Th. XIX.

Cum reliquæ servitutes rusticæ se ipsas explacent, pergamus ad urbanas; quarum præcipuæ sunt *Oneris ferendi, tigni immittendi, stillicidii, fluminis, luminis, ne luminibus officiatur, prospectus, ne prospectui officiatur, cloaca, altius tollendi, non tollendi.*

Th. XX.

In servitute oneris ferendi serviens parietem reficit. *I. 33. ff. De S. P. II.* Non item in servitute tigni immittendi,

Th. XXI.

Potest dubitari, an jus altius tollendi sit servitus, cum 1. in meo altius tollam. Jam autem res mea mihi non servit, 2. Cum Imperator de eo nullam mentionem faciat; sed respondetur, utique esse servitutem, si supponatur, legem esse, quæ prohibet, ne sine consensu vicini altius ædificem.

Th. XXII.

Difserit servitus luminum a servitute, ne luminibus officiatur. Illa non nisi alienum vel communem, hæc etiam proprium parietem supponere potest.

Th. XXIII.

Servitutes personales tres recensentur in Jure nostro: *usufructus, usus, & habitatio.*

Th. XXIV.

Ususfructus est jus utendi fruendi rebus alienis salva earum substantia. Proprie ergo tantum est rerum usu non consumptibilium.

Th. XXV.

Maxime impro prius ergo est ususfructus jus utendi

utendi rebus alienis usu consumptilibus, qui quasi
usufructus dicitur. In hoc substantiæ, quæ salva
naturaliter manere non potest, vices gerit *obligatio*,
qua usufructuarius tenetur rem similem vel ejus
pretium finito jure suo restituere; ob quam civiliter
salva manere res dicitur.

Th. XXVI.

Minus juris est in usu, quam in usufructu, quod
ex definitione patet. Uſus enim est jus utendi re-
bus alienis ad necessariæ vitæ subsidia.

Th. XXVII.

Minus juris etiam est in habitatione, quam in
usufructu. Est autem habitatio, jus alienas ædes in-
habitandi, & omne commodum ex illarum habita-
tione percipiendi; differunt ergo usufructus ædium,
uſus ædium, & habitatio.

Th. XXVIII.

Circa servitutum constitutionem consideran-
dum est & jus ad rem & jus in re.

Th. XXIX.

Jus ad rem acquiritur per pacta & Stipulatio-
nes. Jus in re per ultimam voluntatem, traditio-
nem ex justa causa, præscriptionem.

Th. XXX.

Hoc bene est annotandum; quandiu enim jus
in re non acquisivi, licet per contractum quendam
mihi servitutem stipulatus fuerim, non habeo acti-
one confessoriam, sed saltem actionem persona-
lem contra promittentem, ad id, ut servitutem pro-
missam tradat, aut, si id fieri non possit, ut interesse
præstet.

Th.

Th. XXXI.

Effectus ergo servitutis acquisitæ est actio confessoria, quæ est actio realis, quæ datur illi, cui jus in re aliena acquisitum est, adversus possessorum fundi, qui illud jus denegat ad jus servitutis declarandum.

Th. XXXII.

Actio Negatoria autem non oritur ex servitute, sed ex dominio, quod ego prætendo liberum esse in prædio meo, & datur Domino adversus assertorem servitutis ad id, ut libertas prædii declaretur.

Th. XXXIII.

Finiuntur servitutes & quidem Reales. 1. Rei interitu. 2. Confusione. 3. Remissione Domini. 4. Præscriptione seu non usu 10. annis inter præsentes, & 20. inter absentes. 5. Resoluto jure constituentis. Personales, præter modo allegatos modos; inter quos *confusio*, in specie *consolidatio* dicitur; extinguuntur 1. Morte ejus, cui servitus data. 2. Die vel conditione existente. 3. Cessione extraneo facta.

F I N I S.



Frant jn m.
8.02

